DISSERTATIO MEDICA INAUGURALIS,

DE

PHTHISI PULMONALI.

QUAM,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

Ex Auctoritate Reverendi admodum Viri

D. GEORGII BAIRD, S. S. T. P.

ACADEMIÆ EDINBURGENÆ Praefecti,

NECNON

Ampliſſimi SENATUS ACADEMICI conſenſu,

Et nobiliſſimae FACULTATIS MEDICÆ decreto;

PRO GRADU DOCTORIS,

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS;

Eruditorum examini ſubjicit

THOMAS CLEGHORN, A. B.
TRIN. COLL. DUB.
BRITANNUS,
Societ. Med. Dub.
Et Societ. Med. Hib. Soc. Ext.
Necnon
Societ. Reg. Med. Edin.
Socius.

Surgeon Gen'l's Office
LIBRARY
Washington, D.C.

Ad diem 12 Septembris, hora locoque ſolitis.

EDINBURGI:
CUM PRIVILEGIO.
TYPIS GULIELMI CREECH.
M DCC XCIII.

FRATRI, AMICO,

PRAECEPTORI

JACOBO CLEGHORN, M. D.

ET IN COLL. S. S. ET INDIV. TRIN.

JUXTA DUBLINIUM ANAT. PROF.

HOC OPUSCULUM,

ANIMO QUAM MAXIME DEVINCTO

D. D. C.

AUCTOR.

DISSERTATIO MEDICA

INAUGURALIS,

DE

PHTHISI PULMONALI.

AUCTORE T. CLEGHORN.

TAM late per has insulas grassatur Phthisis Pulmonalis, et tam altâ caede notatur, ut saepe Morbus Anglicus audiat: Et quidem, sive numeros saevitiae ejus subjectos, sive naturam periculosam spectamus, summa attentione digna videtur. Secundum tabulos Londinenses, quatuor vel quinque millia singulis annis Phthisi pereunt; dum numerus mortuorum variat, inter viginti, et viginti tria millia. His

convenit opinio Sydenhami: " Verbo dicam, " quantumcunque exitialis ſit Phthiſis, ut- " pote qua intereunt duo trientes fere quos " morbi chronici jugulant." Sed alio loco ſtatuit, morbos chronicos, tertiam fere hominum necare. Hinc calculis ſubductis patebit, hunc unum morbum quintam partem hominum in his inſulis abſumere. Nil mirum eſt igitur multos noſtratum praeclaros operam dediſſe ad cauſas et naturam inveſtigandum.

Cel. Mortonus omnes varietates Phthiſis Pulmonalis in duas ſpecies redegit; originariam ſcilicet, quae a mala diatheſi, et ulceratione pulmonum, primo inſtanti dependet; et ſecundariam vel ſymptomaticam, quoties ſcilicet pulmones a morbis praecedentibus altius afficientur. Hiſtoriam morbi etiam diviſit, in tria ſtadia, incipiens, tuberculoſum, et ſuppuratum.

Hodiernis quidem duo ſtadia tantum annumerantur;

merantur, incipiens et confirmatum; ſed minime conſentiunt de terminis ſingulis definiendis. Hic morbus dicitur etiam aliquando eſſe acutus, aliquando chronicus; ſed perraro inter morbos acutos annumerari poteſt, Phthiſis originaria.

Omnes auctores conſentiunt, certum habitum corporis ad phthiſin proclivitatem praenotabilem oſtendere; et quibus ſignis hæc dignoſcatur ſedulo monſtrant. Nam primo ingreſſu morbi plus valet ars medica, quam cum ſymptomata varia quaquaverſum inſtant: et forſitan nullo alio morbo magis confirmatur dictum Hippocratis, "Occaſio celeris"; nam cum jam Phthiſis inveteraverit, de aegro deſperatur; et etiam Phthiſin incipientem reprimere opus difficile eſt et precarium.

Experientia docet eos magis ad Phthiſin obnoxios eſſe, quibus cutis alba eſt et mollis, vultus eximius, ingenium praecox, muſculi molles

molles et oedematoſi; quibus habitus corporis gracilis, cum thorace conſtricto, longo collo, et humeris elatis: Sed prae caeteris omnibus proclivitatem evincit diſpoſitio catarrhalis; quando ſcilicet aeger vel ob leviſſimam occaſionem, etiam ſine ulla evidenti causâ, frequenter tuſſi obnoxius eſt. His ſignis vero quaedam alia adjiciunt auctores, vocem ſcilicet exilem, aliquando raucam, colorem dentium margaritae aemulantem, caerulitatem albugineae, et carunculae lachrymalis ruborem ſplendidum.

Phthiſis utplurimum apparet inter aetatem pubertatis, et annum trigeſimum quintum: Sed Robinson teſtatur ſe ſaepe vidiſſe huncce morbum mulieres aggreſſum fuiſſe, circa tempus ceſſationis menſium; et plurima exempla adducere poſſim, oſtendere, nullam eſſe aetatem ab ejus adortibus incolumem. Sed haec minime afficiunt regulam generalem; et idcirco circa annos praedictos morbus ſemper per-

pertimeſcendus eſt, in iis lineamentis diatheſis phthifici deſignatis, et praecipue ſi a parentibus ſuppuratis orti ſint, vel ipſi jamjam laboraſſent affectionibus ſcrophuloſis.

Per gradus tam tardos obrepit malum, ut aegro, fere nihil timente, catarrhus dicitur levis a frigore accepto; nam initio plerumque tuſſis, levis quidem ſed ſicca, adhuc unicum eſt ſymptoma: huic vero cito adveniunt ſenſus moleſtiae in pectore, recubitu auctus, laſſitudo inexplicabilis, et anhelatio poſt motum citatiorem vel aſcenſum ſcalarum. Sed tuſſi ingraveſcente vox rauceſcit, et dolores fugaces per thoracem volant. Haec ſymptomata poſt tempus haud longum ſputis copioſis et ſanguine miſtis levantur; tuſſis reſtat fere nulla, et reſpiratio ſatis libera evadit. Sed haeret lateri lethalis arundo; nam ob leviſſimam occaſionem, etiam ſine ulla causâ evidenti, omnia revertunt, denuo ingraveſcunt, et denuo mitigantur. Sic morbo ſine periculi metu

tu progrediente, nullus accerſitur medicus, nulla adhibentur remedia, et ſic miſerandus aeger per menſes, per annos ſimilibus paroxyſmis vexatur. Interea anhelationes creſcunt, dolores adhuc fugaces in alterum latus ſe figunt, et decubitus in illud omnia ſymptomata aggravat. Per hoc ſtadium pulſus eſt debilis et varius, urina plerumque rubra, alvus aſtricta, lingua nitida; appetitus aliquando proſtratur, et haud infrequenter in mulieribus menſes ceſſant. Semper vero viribus amiſſis corpus emaciatione ſenſim conficitur. Tandem leviſſima occaſione febris accenditur, calor magnus, fere intollerabilis, manuum et pedum volas faciemque urit; tuſſis moleſtior ſicciorque evadit; et dolores lancinantes per pectus et per totum corpus ſentiuntur: Haec ſymptomata excipiunt ſudores ſuperiora corpora madentes, et excreatio copioſa ſputi flavi ſubviridis mali odoris, et linguam ſapore dulci aliquando ſalſo vel amaro ferientis. His ſignis monemur quod Phthiſis confirmari, et in

lethalem

evadere incipit. Paroxyſmi febriles ſaepius in die recurrunt, cum ſymptomatibus ſupradictis, ſed magis magiſque ad reverſiones periodicas tendunt, et paulatim regularis hectica formatur, cum exacerbationibus binis in die, veſpertinâ ſcilicet majori, et alterâ leviori ſub meridiem; ſingula vero in ſudoribus partialibus copioſis, et excreatione materiae craſſae purulentae definit, et apyrexia haud imperfecta ſubſequitur; nunc vero omnia in pejus ruunt; ſudores colliquatoſi nocturni, et ſputa purulenta matutina, vires jam labeſcentes penitus conficiunt; corpus miſere marceſcit; vultus quaſi illotus foedatur; per ora et fauces innumerae aphthae apparent; capilli defluunt; et manus pedeſque oedematoſi tument; ſputa definunt, et diarrhoea copioſa praenuntiat mortem.

In cadaveribus Phthiſicorum haud incaſſum ſperamus videre cauſam tot accumulantium malorum; rimato thorace in variis partibus pulmones

pulmones pleurae diaphragmati et pericardio adhaerent; quaquaverſum ſuperficies eorum interſtinguitur tuberculis varii coloris, utfere vel albis, vel livide rubris. Haec tubercula variant a magnitudine minimi ſeminis, uſque ad fabæ molem: Sed majora fere ſemper continent materiam purulentem: ſæpe etiam videtur vomicarum una vel plures; hæc ſunt vel clauſæ et puris plenæ, vel in cavitatem bronchiarum hiantes et aliquando ſiccæ. In aliis corporis partibus nihil inſigne videndum eſt, præter miram paucitatem adipis, et membranæ celluloſæ. Hinc manifeſte apparet formationem et ſuppurationem tuberculorum in pulmonibus eſſe cauſam proximam phthiſis, et idcirco pauca dicam de eorum origine et natura.

Mortonus ſic de iis differit——" Ut pluri-
" mum vero hi tumores glanduloſi chronici et
" frigidi et quaſi ſcrophuloſi, a liquoris gluti-
" noſitate vel pori ſui ductus obſtructione or-

" tum

" tum ſuum ducentes, quo fit ut intus ſtag-
" nans liquor in formam gypſeam, ſteatoma-
" toſam vel melleam a naturali partis calore
" concoquatur; propriâ tamen cyſtide ſemper
" continetur, atque inde tumor iſte penitus
" aboritur, quem crudum nominamus; qui,
" licet progreſſu temporis, in molem ſatis
" grandem ſuccreſcat, non tamen illico inflam-
" matur, vel putreſcit, uſquedum ſcilicet acri-
" monia ab humore contracta in cyſtide, vel
" ex tono partis nimis diſtento, inflammatio
" atque inde apoſtema ab aliquo accidente
" ſuperveniat." Hanc citationem condonare liceat, nam in his paucis verbis continetur, explicatio tuberculorum ortus et ſuppurationis, clara et ſimplex. Ingenioſus auctor pro conceſſo habet, tubercula eſſe tumores glanduloſos; et huic opinioni multi praeclari conſentiunt. Sed anatomici nunquam adhuc demonſtrarunt glandulas lymphaticas in ſubſtantia pulmonum, quanquam indefeſſus HEWSON hoc organon ſumma curâ perſcrutavit: et cer-

te ſi tanta obſtructio has glandulas occuparet, Hydrothorax ſemper ſequeretur. Nullus abnego hoc aliquando evenire, ſed rarum eſt. Alii putarunt, et forſitan inter eos MORTONUS, glandulas mucoſas, huic malo ſedem praebere: Sed hae glandulae magis in tracheâ ipſâ et in bronchiarum majoribus ramis abundant: *Ibi vero* tubercula nunquam apparent. Ombus notum eſt tabidos aliquando per multos annos, anhelitu, macie, et hecticâ, ſine ulla expectoratione purulenta, laboraſſe: Hos ſubtabidos nominavit HIPPOCRATES, praevidens, quod in progreſſu temporis omnia ſymptomata verae Phthiſeos ſequerentur; nam, ut bene dixit MORTONUS, tubercula cruda non illico inflammantur, et putreſcunt, ſed ſuccreſcunt in molem ſatis grandem, et ſingulatim, a cauſis variis irritantibus, in ſuppurationem ruunt. Aliquando vero tanta eſt diſpoſitio ad tubercula formanda, ut vires aegri penitus conficiantur, antequam ulla ſuppuratio evenerit, et

tuſſis

tuſſis ſicca comitetur uſque ad mortem: Talem caſum memorat BARRERE, poſt mortem inveniebantur pulmones undique pleurae accreti, reſperſi per totum minimis tuberculis, fere inſtar ſeminum milii; dum manu premebatur pulmo, tactu percipiebantur, tubercula dura nucis magnitudine; quaedam ex illis tuberculis diſciſſa, continebant materiam albam inſtar gypſi mollioris; unicum inveniebatur pure plenum. Pars ſuperior lobi dextri dura erat inſtar lapidis, ovum gallinaceum minus aequans magnitudine. In eodem corpore, ergo, inveniebantur tubercula in omnibus fere ſtadiis. Sed aliquando tuberculum durum inſtar lapidis formatur; poſt tempus vero in locis adjacentibus inflammatio et ſuppuratio oritur, et hoc modo lapis obvoluta pure multo cum levamine expuitur. Aliquando etiam tubercula mollioris conſiſtentiae ſunt, et mellea vocantur, iis diſruptis excreatio ſupervenit humoris liquidae, bili perquam ſimilis, ſed non acris; et ſputis magis magiſque purem referentibus,

rentibus, aeger tabeſcit, et more phthiſicorum periit. Si vero ea tubercula integra maneant, omnia ſymptomata ſimiliter promovent, ac in caſu a BARRERE citato, et aeger ſubtabidus moritur, ſine quidem ulla expuitione purulenta.——RAULIN cel. deſcripſit duas ſpecies tuberculorum, ſcil. "ceux qui ſont propres a "ſuppurer et ceux qui ne ſuppurent jamais." Sed ex ſupradictis patet, quod nulla inſignis differentia ſit inter has, ſed potius tubercula cruda et ſuppurata vocari debeant; et quidem perpauci ſine ſputis purulentis moriuntur, etiamſi vomicae parvae in ultimis diebus areſcant, et niſi ſumma attentione quaerantur, penitus ſe ſubducant. Sed utplurimum res ita ſe habent: Poſt dolorem obtuſum in pectore, difficultatem reſpirationis, et alia monentia quod tubercula jam formata fuerint, ſputum prodit cum levamine purulentum; ſenſim minuitur copia, et parvâ hac vomicâ conſolidata, ſatis bene ſe habere videtur talis aeger: Sed pauliſper omnia eadem redeunt ſymptomata,

dum

dum novum nempe tuberculum pus colligit, et rumpitur; et hoc modo morbus progreditur etiam per multos annos. Ubi vero a quacunque cauſa plura tubercula ſimul in vomicas abeunt, vel unum mali moris ſuppurationem ſanioſam praebet, omnia in pejora ruunt, et mors citius advenit.

Inter tubercula haec pulmonalia, et tumores ſcrophuloſos in aliis partibus, ſimilitudo evidenter apparet; et multi peritiſſimi inter medicos teſtantur, quod in omni fere Phthiſi originaria alia ſymptomata ſtrumoſa invenienda ſint, vel in aegro ipſo, vel in parentibus ſuis: et hinc inter hodiernos nulla dubitatio manet, huncce morbum a labe ſcrophuloſa originem ducere. Huic opinioni objectum fuit, quod Phthiſis et ſcrophula aliis aetatibus occurrant. Sed ingenioſus CULLEN oſtendit, quomodo aliae partes corporis aliis aetatibus morbis obnoxiae fiant: Et quidem Phthiſis ut plurimum occurrit circa hos annos, dum fluxus abnormis

abnormis ſanguinis verſus pulmones proclivitatem ad morbum in eos vertit. Sed ſi thorax bene formata ſit pulmones amplitudine creſcunt, et ſyſtemate genitali evoluto, corpus majore ſanitate viget, et omnibus functionibus rite peractis ad ſeponenda feminia morborum magis magiſque pollet. Hinc plurimi uſque adhuc ſcrupholoſi et phthiſi et tumoribus incolumes evadunt.

Inter cauſas excitantes Phthiſis frequentiſſime habentur catarrhus et hemoptyſis; ſed ut plurimum potius ſymptomata quam cauſae morbi, conſiderari debeant: Quanquam in iis qui antea diſpoſiti ſunt, aliquando formationem tuberculorum properent debilitando pulmones, et derivationem ſanguinis verſus eos augendo. In primis ſtadiis Phthiſis, facile dignoſci poteſt tuſſis ſymptomatica a tuſſi catarhali: haec enim eſt ſemper humida, illa vero ſicca, ſonora, et recubitu aucta. Sed in provectioribus ſtadiis ſaepe neceſſarium eſt determinare

minare, anne ſputa aegri materia purulenta conſtant. Itaque HIPPOCRATES antiquitus methodum indagavit inter pus et mucum diſtinguendi, tam ſimplicitate quam certitudine inſignem: materiem excreatam in vaſculum aqua marina impletum injecit, ſi ſuper eam nataret, mucum eſſe judicavit; ſi vero fundum peteret, pus. Sed ſimplicitatem hujus methodi ſpernantes pathologici hodierni, multum ſatagunt de aliis differentiis inveniendis, et artem chemicam in auxilium vocant. Inter hos clar. DARWIN multa experimenta chemica ordinavit, haud ſine ſpe comperuiſſe aliquas notas quibus duae ſubſtantiae facile dignoſci poſſint. Sed plorandum eſt, ut ejus experimenta aliis repetita eventus plane differentes praeberent. Utplurimum vero pus a muco dignoſci poteſt ſapore, odore, et colore. Haec vero experientia ſola docebit, nam deſcriptiones talium qualitatum minime perfectae ſunt. DE HAEN et alii exempla memorant, quibus Phthiſis confirmata catarrhum exceperat; poſt

mortem

mortem vero, thorace rimato, nulla tuberculа, nulla ſuppuratio inveniri poſſint. Sed perdifficile foret diſtinguere inter vomicas parvas numeroſas, et cellulas bronchiarum; et bene notum eſt, pus nunquam ſecerni in ultimis diebus.

In omnibus ſtadiis Phthiſis haemoptyſis perfrequenter occurrit, ſaepe quidem antequam ulla alia ſymptomata morbi apparuerint, vel dum ſaltem leviora ſint, quam ut aeger aliquid pertimeſceret; et in ultimis ſtadiis frequenter vaſa magna vicina, ulceratione debilitata, rumpunt; et hinc profluvium ſanguinis ſubſequitur, ſaepe profuſum, aliquando lethale. Sed numeroſiſſimi caſus in praxi videntur, in quibus haemoptyſis ceſſat, ſine ulla ſubſequenti Phthiſi, etiam ſine ulla expectoratione purulenta. Sic egomet vidi in Noſocomio Edinenſi mulierem, quae per decem annos ſub ſuppreſſione menſium laboraverat, molimina circa tempus regulare ſemper apparuere, et

haemo-

haemoptyſis haud infrequenter ſupervenit, ſed nulla expectoratio purulenta vel alia ſymptomata phthiſeos. Hinc certe inferre liceat quod haemoptyſis non niſi illos proclivitate notatos ad phthiſin ducat.

Quaecunque evacuationes ſuppreſſae, an ſecretiones et excretiones naturales, an fonticuli, ulcera et haemorrhagiae uſitati, ad Phthiſin ducunt. His etiam adjici poteſt, curatio repentina vel repulſio quorundam morborum, vulgo ſub nomine Scorbuti deſignatorum; necnon amputatio alicujus membri majoris. Nam horum accidentium aliquo libratio circulationis turbatur, et ſanguis redundans interiora petit. Si vero aliquod viſcus labaſcat, in hoc vertitur. Sed his malis praeceptum artis perutile diſcimus; nam quaecunque evacuatio reprimatur, reſtituenda eſt, antequam ulla alia remedia praeſtemur: et ſi fonticulus vel ulcus veternum aruerit, illud renovandum; vel ſi multum incommodum ſitura creaſſet, novum in diverſo loco formandum

eſt. Sed frequentiſſima cauſa Phthiſis eſt perſpiratio ſuppreſſa vel minuta. Ab experimentis SANCTORII apparet, quinque octavas partes ingeſtorum, corpore ejici per perſpirationem, et minime dubitandum eſt, maximam hujus partem eſſe halitum e pulmonibus. Quum igitur a frigore, vel aliis cauſis, perſpiratio reprimitur, nil mirum eſt pulmones laborare; nam et ſanguis redundans in iis accumulatur, et halitu minuto minus ad ſeſe exonerandum valent.— Hinc quaecunque perſpirationem minuunt, aër humidus, loca paludoſa, et regiones pluviatiles, ſemper adſcribuntur inter cauſas remotas Phthiſis: Et quanquam aeſtate phthifici optime ſe habent, minime tamen hiemale tempus periculoſiſſimum apparet; ſed autumnale vel vernale: Corpus enim vi mirabili gaudet, ſeſe aptandi ad varios gradus caloris et frigoris. Sed ſi mutationes repentini ſint, et tempus negetur ad certas functiones ordinandas, aequilibrium circulationis perturbatur, et peſſimae effectus ſubſequuntur. Phthiſis frequenter alios morbos excipit; ut

variolas,

variolas, morbillos, pneumoniam, et aliquando, ſed raro, aſthma ſpaſmodicum vel tuſſim convulſivam. Haud immerito etiam dicitur quoſdam affectiones mentis, Phthiſi anſam praebere; ſic melancholia et terror aliquando mutamina praenotabilia in corpore efficiunt, et multos morbos inducunt: Et quidem omnes cauſae debilitantes proclivitatem ad phthiſin fovent et alunt.

In curatione Phthiſis, omnia remedia, vel ad delendum morbum, vel ad ſymptomata graviora levanda, ſpectant. Sed plorandum eſt, nulla medicamenta ſatis efficacia inventa fuere, vel ad formationem tuberculorum prohibendam, vel ea jam formata reſolvenda; ſed quidem natura aliquando videtur curationem hujus morbi efficere, et medici eſt, omnes cauſas excitantes amovere, et conatus naturae quam maxime adjuvare. Dictum fuit ſupra, quod evacuationes variae ſuppreſſae frequenter ad Phthiſin ducant, et eas reſtituere neceſſarium ſit, antequam ulla alia remedia praeſtemur. Sed ut perſpiratio minuta cauſa

fre-

eſt. Sed frequentiſſima cauſa Phthiſis eſt perſpiratio ſuppreſſa vel minuta. Ab experimentis SANCTORII apparet, quinque octavas partes ingeſtorum, corpore ejici per perſpirationem, et minime dubitandum eſt, maximam hujus partem eſſe halitum e pulmonibus. Quum igitur a frigore, vel aliis cauſis, perſpiratio reprimitur, nil mirum eſt pulmones laborare; nam et ſanguis redundans in iis accumulatur, et halitu minuto minus ad ſeſe exonerandum valent.— Hinc quaecunque perſpirationem minuunt, aër humidus, loca paludoſa, et regiones pluviatiles, ſemper adſcribuntur inter cauſas remotas Phthiſis: Et quanquam aeſtate phthifici optime ſe habent, minime tamen hiemale tempus periculoſiſſimum apparet; ſed autumnale vel vernale: Corpus enim vi mirabili gaudet, ſeſe aptandi ad varios gradus caloris et frigoris. Sed ſi mutationes repentini ſint, et tempus negetur ad certas functiones ordinandas, aequilibrium circulationis perturbatur, et peſſimae effectus ſubſequuntur. Phthiſis frequenter alios morbos excipit; ut

variolas,

variolas, morbillos, pneumoniam, et aliquando, ſed raro, aſthma ſpaſmodicum vel tuſſim convulſivam. Haud immerito etiam dicitur quoſdam affectiones mentis, Phthiſi anſam praebere; ſic melancholia et terror aliquando mutamina praenotabilia in corpore efficiunt, et multos morbos inducunt: Et quidem omnes cauſae debilitantes proclivitatem ad phthiſin fovent et alunt.

In curatione Phthiſis, omnia remedia, vel ad delendum morbum, vel ad ſymptomata graviora levanda, ſpectant. Sed plorandum eſt, nulla medicamenta ſatis efficacia inventa fuere, vel ad formationem tuberculorum prohibendam, vel ea jam formata reſolvenda; ſed quidem natura aliquando videtur curationem hujus morbi efficere, et medici eſt, omnes cauſas excitantes amovere, et conatus naturae quam maxime adjuvare. Dictum fuit ſupra, quod evacuationes variae ſuppreſſae frequenter ad Phthiſin ducant, et eas reſtituere neceſſarium ſit, antequam ulla alia remedia praeſtemur. Sed ut perſpiratio minuta cauſa

fre-

frequentiſſima eſt, ſic a quacunque morbus immediate pendet, nihil ad ſanitatem magis conducit quam liberam per cutem excretionem promovere. Ad hoc efficiendum nulla methodus ſimplicitate, et uſu, praeſtat veſtitui calido: et quidem induſium laneum, perſpirationem in praeſens admodum auget, et corpus munit contra mutationes repentinas tempeſtatum, tam alte pernicioſas. Experientia minime hortatur uſitationem ſudorificorum; his enim corpus debilitatur, et tempus amittitur, quod melius occupari poteſt in remediis efficacioribus adminiſtrandis, nempe diaeta idonea, exercitio, et remotione in loca corpori amiciora.

De diaeta phthiſicorum, multum inter ſe diſſentiunt autores: Sed inter omnes confertum eſſe videtur, diaetam neque ad debilitatem, neque ad diatheſin inflammatoriam ducentem, maxime neceſſariam eſſe; itaque alimentum ſatis nutriens, et ſtimuli expers, quaerendum eſt. Tale vero praebent variae ſpecies lactis; et ha-

rum

rum alii autores alias laudarunt. Robinson et multi praeclari lac humanum collaudant; et non dubitandum eſt, hoc reliquis antecellere, utpote facilius coctu, et maxime gratum faſtidienti ſtomacho. Poſt illud commendari ſolent aſininum et equinum; haec omnia materia ſaccharina abundant, et minorem quantitatem caſeoſae continent; hinc expertes eſſe videntur iis malis lactis vaccini: aliquando enim ſtomacho debilitato acidum gignitur, quod ſeparationem coaguli promovet, et hinc omnia ſymptomata dyſpeptica aggravantur. Sed huic ſpeciei lactis etiam objicitur, quod alvum aſtringat. Dicitur quidem parvam quantitatem magneſiae alvum laxam tenere, et aciditatem ventriculi corrigendo ſeparationem coaguli impedire; certe vero alimentum minime prodeſt, uſitationem corrigentium quaeritans. Sed lac ebutyratum ſatis nutriens apparet, corpus refrigerat, et alvum laxat; haud infrequenter etiam debillimis ventriculis maxime arridet, et ejus uſum ſaepe magna beneficia ſequuntur.

Up-

Utplurimum in omni Phthiſeos ſtadio, ſatius eſt a carne abſtinere; hic enim alimentum praebet nimis ſtimulans, nec quidem concedi poſſunt juſcula a carnibus parata. Sed fructus ſubacido-dulces, radices eſculentae, olera, et far omne, diaetam idoneam, et ſatis variam praebent. In electione earum vero, arbitrium aegri ſemper conſulendum eſt.

Vinum, et ſpiritus vinoſi, numquam ſine ſummo periculo ingurgitantur; et idcirco abſtinentia religioſiſſima ab iis praeſcribenda eſt. Sed forſitan cereviſia tenuis minime inopportuna invenietur in quibuſdam caſibus, praecipue ſi vetuſtior ſit, et aliquanto acidula; omnes enim aciduli potus gratiores, et utiliores, Phthiſicis videntur.

Equitationem laudavit SYDENHAMUS, quaſi haud minus ſpecificum in hoc morbo quam mercurius in ſyphili, vel cortex in febribus intermittentibus; multos enim, ejus ope ad valetudinem reductos,

reductos, viderat, cum jam ſudoribus nocturnis accefferat diarrhoea, praenuntia mortis, ut plurimum ultima rerum linea. Sed etiam confitetur itinera curru facta, aliquando mirandos ſane effectus edidiſſe; et hinc mihi apparet, nihil in motu equitatoris mirabile ineſſe, ſed omnia beneficia attribui debere, exercitationi ſub dio, et mutationi loci; nam minime apparet equitatio in locis proximis tam inſigniter prodeſſe. Sed hae methodi exercitationis aliquando nimis violentae ſunt pro viribus confectis aegri, et ingenioſus CARMICHAEL SMYTH propoſuit, motationem in ſede penſili; et multos caſus enarravit, dum Phthifici priſtinum valetudinem recuperaſſent ſolo haec exercitio. Sed omnibus aliis praecellit navigatio: Sic CELSUS jamdudum dixit, " In Phthifi opus eſt, ſi vires patiuntur, longa " navigatione; ſi id imbecillitas non finit, nave ta- " men ſed non longe geſtari commodiſſimum." Et CICERO de ſeipſo refert, quod debilis, et marceſcens, ab inſtanti Phthifi, in Aſiam navigaſſet; et poſt duos annos Romam rediiſſet, ſumma valetudine

letudine vigens. Et PLINIUS teſtatur, Anneum Gallionem ſimiliter feciſſe, propter Phthiſin, et ſanguinis ſputa; adjiciens, " Neque enim Egyp-
" tus propter ſe petitur, ſed propter longam na-
" vigationem." Inter hodiernos multi peritiſſimi eandem laudant. Clar. GILCHRIST plurimos caſus commemorat, dum Phthiſici omnibus ſtadiis vires et valetudinem inſtauraſſent, vectatione marina. Et ſimiles in omnibus autoribus qui de hoc morbo diſceptant, inveniuntur. Sed etiam loca maritima inſigniter amica Phthiſicis videntur; et quidem regionum periti dicunt, eos vitas degentes in locis maritimis, fere nunquam Phthiſi conſumeri. Sic RUSSEL in tractatu de aqua marina: "Inter innumeras mulieres, quae
" victum quotidie eruendis conchis ad littora
" quaeritant, vix unam invenies, cujus putridae
" ſunt dentes; contra autem, firmae ſunt plerum-
" que ginivae, pulmones ſani, tuſſique, ſcorbuti-
" ca liberi." Similiter quidem Clar. GILCHRIST obſervavit. Inter eos, qui circa littora marina vitam degentes, aërem purum reſpirant, ſaepe

undis

undis natantur, et conchilibus victu utuntur, Phthiſis rara eſt; in regionibus proximis, pauca millaria mare remotis, morbus frequens, et lethalis invenitur, quanquam ſolum magis areſcat. Ex his conſtant, omnia beneficia a navigatione non ſolae geſtationis in rationem referre debere; ſed minime negandum eſt, quod exercitium lene, et conſtans, multum prodeſt. Hoc enim fluxus ſanguinis in corporis ſuperficiem promovetur, et perſpiratio majore copia excernitur; hinc tarditas ventris adeo frequens eſt, in iis qui pro tempori brevi per mare vehuntur; nam fluidis ab interioribus averſis, ſuccus inteſtinalis deficit, et hinc alvus aſtringitur. Huic ſymptomati occurrere maxime neceſſarium eſt, et quidem indicationi alvetica ſatis aptata videntur.

Quoniam Phthiſis multo frequentior eſt, in quibuſdam locis, quam in aliis, haud abſurdum eſt expectare, remotionem in loca feliciora, aliquid prodeſſe, etiam jam ſuppuratis: et quidem experientia docet, nullum aliud magis ad ſani-

tatem conducere. Nam " peſſimum aegro eſt " caelum, quod aegrum fecit."—Idcirco novos locos petere, ſemper praeſcribendum eſt; et eos potius malis quam maxime expertes, quae huncce morbum fovere noſcuntur. Sed ut dictum eſt, caelum mutabile prae caeteris Phthificis noxium eſſe, (et certe haec regio mutabilitate eminente gaudet). Ea tempeſtate cum ſubitae mutationes praevideantur, periculum itinere, vel navigatione, aufugiendum eſt. Hoc conſilio multi noſtratum ſub autumni ingreſſu, itinera facientes in Hiſpaniam, Italiam, vel regiones auſtrales Galliae, aeſtate perenni potiuntur; et ſanitate recuperata, in patriam redeunt, eundem curſum remeare ſperantes, ſi ulla ſymptomata regreſſum prioris mali minarentur. Poſt aliquot annos vero diatheſi phthifico ſenſim evaneſcente, ſine ullo timore natalibus regnis gaudent.

Quaedam aquae minerales in curatione hujus morbi, multum laudibus efferuntur; et praecipue ferrugineae. Et quidem tot caſus autoribus

bus memorantur phthificorum, qui per earum uſum vitam quaſi inſtauraverant, ut nulla dubitatio manere poſſit, eas inter efficaciora remedia enumerari debere: quanquam in quibuſdam caſibus, propter vim ſtimulantem, ſumma cautela neceſſaria videtur. Sed aliae aquae minerales multa beneficia promittunt. Sanguinem enim diluunt, corpus refrigerant, et omnes ſecretiones et excretiones promovent: Nec quidem parvi momenti eſt, animum aegri in iis locis ubi aquae quaeruntur variis oblectamentis deteneri.

Analogia ab aliis morbis, medicos allexit, tentare effectus mercurii in tuberculis reſolvendis: Sed fere, incaſſum; et aliquando haud ſine detrimento. Hinc quidem nunc nunquam uſitatur.

Cortex Peruvianus ſaepe videtur admodum prodeſſe; et quidem FOTHERGILIUS frequenter uſitavit in aliis morbis ſcrophuloſis optima ſucceſſu: et etiam in hoc, aliquando vidit multum bene-

beneficium ejus uſum ſubſequi. Nihilominus opinatur hoc eſſe remedium dubium et periculoſum in Phthiſi pulmonali; et etiam teſtatur abuſum ejus in provectioribus ſtadiis morbi, ſe ſaepe vidiſſe ad mortem ducere.

Setacea et fonticuli, admodum utiles invenientur in primis ſtadiis Phthiſeos, et quidem obſervatio, Phthiſin frequenter excipere deficcationem fonticulorum priorum, indicatio generalis, fluxum abnormem ſanguinis a pulmonibus avertere; et effectus felices eorum uſum ſequentes in aliis ſimilibus morbis, omnes cohortantur ad periculum faciendum talium evacuationum.

Sed quidem humanitas poſcit, ut ſuccurramus miſeris de quorum etiam ſalute deſperamus; ut leniamus mala, quae eradicari nequeunt; ut placide magis peragatur pauculum illud quod de vitae curriculo ſupereſt, donec mors his aerumnis finem imponat.

Quatuor autem praecipue ſunt ſymptomata,

quae

quae lenimen poſtulant; tuſſis, dolores, ſudamina, et diarrhoea. Tuſſis, plerumque ſicca, ſaepe moleſtiſſima, a primo adventu morbi perdurat, omnia alia ſymptomata aggravat, et ipſum morbum incitat. Ad hunc leniendum varia remedia, expectorantia dicta, celebrata fuere: nam omnes medici obſervaverant, excretionem copioſam e pulmonibus tuſſim levare. Sed cel. Gregorius ſententiam de iis medicamentis his verbis promulgavit: " Omnia vero quibus no-" men expectorantium imponere placuit, vel ad-" modum exiguas, vel quod pejus eſt, admodum " incertas hujuſmodi vires habent." Et quidem alia medicamenta, ad leniendam tuſſim, aptiora videntur; et praecipue opium, et mucilaginoſa. His enim, adjuvante diaeta idonea, cauſae irritantes minuuntur, et partes ad irritationem minus apti evadunt.

Dolores lancinantes per pectus, aliquando miſſiones ſanguinis poſtulant; ſed ſatius foret eos mitigare per fotus, cucurbitulas cruentas, vel emplaſtra

emplaſtra epiſpaſtica; his enim inflammatio reſolvitur ſine corporis debilitate inducta. Forſitan etiam aliquando opium dare licebit; et hoc melius quam alia, dolores fugabit.

Ad ſudores reprimendos, nulla remedia efficaciora inveniuntur, quam potus frigidi acidulati. Sed ſtragula lecti parca eſſe debent, et aeger mane aſſurgere.

Saepe neceſſarium eſt diarrhoeam colliquativam cohibere; et ad hoc efficiendum in communi uſu ſunt opium, et aſtringentia, ut gummi kino, catechu, alumen, &c.

Sed ſymptomata hujus herculei morbi adeo varia ſunt, ut medici peritiſſimi eſt ſolamen praebere, et pro tempore judicare.

FINIS.

Med Hist
W4
E23
1793
c. 2